

II. REGNUM MORTUORUM

Nro. 70.

*Secretum litterarum commercium inter Vivos
et vita functos.*

Gustavo Vasa, Regi Svecorum.
Ex mundo superiore.

Elysium-Meum, Die Martis, 2 Octob 1810. (Neor. 4. Sept. 1810)

Novus rerum ponditur ordo, nova Dynastiae oritur Epocha, nova rerum in Regno olim tuo eximie Rex! exurgit facies! — Trans etiam Lybitinam voluptatem adfert pristinorum memoria, trans quoque stigam eximii viri vivunt in Historia, & trans etiam Lethen immortales animæ gaudio aut dolore adficiuntur, super mundi cursu, & mundanis eventibus — hæc Causa litterarum mearum, quas benevolo animo excipias, precor.

Primordia Svecorum, prout reliquorum populorum fabulis involuta sunt. Omnia tenebris obducta. Revolutiones, quæ per sæcula locum habuere, Cel. ex Cathedra docuit Puffendorffius, Venerab. Abbas Venbot *amoene* describit. — Probabile est: Sveciam continuo se excipientibus, quæ Europam inundaverunt, emigrationibus exhaustam, in summam barbariam Sæculis VIII, IX, X, & XI degenerasse. — Sæculo XI

Christiana religionis lux penetravit, beneficium grande regioni, at sequentibus denuo prævaluit ethnicismus, & XI Sæculo adhuc omnes incolæ ethnici erant, primus Olaus Erici victoriosus filius paucis ab aditu regiminis annis 1001 Christiana sacra publice amplexus, quæ pedetentim per universum regnum propagata.

Primi Sveciæ reges absoluti erant imperantes „Svenones, ait Tacitus, dominatum unius parebant” Svenones hi Sveci erant. — Ast quantopere status hic mutatus est! — Sveci, qui Taciti ætate soli inter Germanicos populos servi, postmodum barbari erant, tardiore ætate cultura & libertatis studio eminentissima natio effecti sunt; Constitutio & lex fundamentalis Statibus Regni Colonisalem quoque adnumerat.

Sveoia Regnum electivum erat, & ante finem sæculi XVI. tituli Comitum, Baronum &c. in eo ignoti — quantos, obsecro, barbari hi, in scientiis processus fecere? — Botanicoorum in Europa princeps natio Svecus est.

Hæc præteritorum memoria temporum. Veram hodierna ætate cujusvis Sveci interesse debet trans etiam tumultum, novam unanimi electione stabilitam esse Dynastiam. Grandis hic eventus die 21. Aug. Regi ipsi annunciatum est; & quis, amabo, est gloriosus ille, qui novam Dynastiam in solio Svecico conditurus? En aliquot excerpta ex gloria plenitudine ejus decurram!

„Serenissimus Princeps de Ponte Carvo, Mareschallus Bernadotte in Pau Bearnis Anno 1763 primam lucem aspexit. Initio revolutionis stipendia fecit in legione Regia Marina adpellata, in qualitate Subofficialis, at ob ingenii, quo pollebat, & virtutis bellicae, qua excollebat, magnitudinem veloci cursum ad militares dignitates eluctatus. Durante Revolutione sub imperio Gen. Ducis Kleber merebat, sub quo adeo eminebat, ut paulo post agminis Gen. Dux nominaretur. — Hoc praeditus honore, interfuit Anno 1794 proelii ad Flenres. Anno 1795 multam operam ad trajectum Gallorum ad Neovidam contulit. Norimbergam usque profectus, ubi tamen exercitus Gen. Ducis Jourdan, cujus imperio suberat, per Rhenum rursus se recipere debuit. Anno 1796 ad Italianum exercitum translatus, occupatione Palmæ novae, Leminae Corporetti &c. se commendabat; a Gen. Duce Bonaparte postea Parisio: expeditus, ad manubias praelio ad Rivoli aquisitas Directorum Collegio praesentandas, An. 1797 Praefectus Massiliae renunciatus maluit tamen agmen suum revisere. Die 18. Jan. 1798 honoris plenam Gallicam Republicam ad aulam Caesarem Vindob. adeptus Minister stationem. — Eodem anno desponsabat sibi filiam Mercatoris Clary, Marsiliae, sororem non germanam hodiernae Hispaniarum Reginae. Anno 1799 imperio cum militari praefuit exercitui speculatorio, atque Philippo-burgum bellicis machinis impeti iussit. Ejus-

dem anni 19. Maji Minister rei bellicæ denominatus, in quo munere, quamquam temporum adjuncta adversarentur, multum ad ordinem rectiorem in Ministerio contulit, quo ob factionem eorum in Directorio vigentem decessit; post 18. Brumalem Consiliarius Status, mox Generalis exercitus occidentalis Præfectus denominatus, reliquias factionis Chouanorum dispulit, atque A. 1800 Anglorum ad Quiberonam excensionem irritam fecit. — Ob. adversantem valetudinem sequente anno militare imperium tradidit Gen. Duci Isabarde. Occasione Electionis primi Consulis pro Imperatore, Imperii Mareschallus creatus est. Anno 1804 obtinuit supremum militare imperium in exercitum Hannoveranum, & paulopost Præses 8. Cohortis legionis honoraria denominatus. Anno 1805 electus a provincia Vanclusiæ Candidatus Senatus, & a Rege Borussiae Insignibus ordinis nigrae Aquilæ donatus est. Sub finem Septembris 1805 Mareschallus Bernadotte, cum exercitu Hannoverana excessit ditto, Austriacos circumvixit & permultum ad victoriam Gallorum ad Ulmam contulit. Profectus cum exercitu Viandebonam, & magnam in dirimente ad Austerlitz prælio partem habuit, die 31. Martii 1806 ab Imperatore Princeps Pontis Curvi denominatus. Erumpente Bello Borussico Anno 1806 primum exercitus agmen moderatus ad Saasfeldt re potitus. Aderat & ad Jenam, postea Gen. Ducem Borussicum Blücher percontus, fuitque ejus agmen

principum in occupatione Lubecæ. Tum
 ejus exercitus agmen in Poloniam & veterem
 Borussiae protulit, gloriosa ad Mornagen
 acie cum Russia dimicavit. Confecta Tilsit-
 teni pace Præfectus exercitus ex Gallis, His-
 panis Hollandisque constantis denominatus,
 Hamburgensi in urbe, & regione stativa
 habentis. Cum hoc exercitu Serenissimus
 Princeps Jutiam & Fioniam ingressus est. —
 Bello Austriaco 1809 exercitui Saxonico
 præfuit, magnamque in prælio ad Wagramum
 partem habuit. Irumpentibus in portum Vli-
 singensem Anglis supremus Copiarum in Flan-
 dria Dux denominatus, turmas nationales or-
 ganisavit, hocque negotium singulari cum
 velocitate ad exitum perduxit, generatim tam
 opportuna defensionis dispositiones inivit, ut
 a consilio: Classem, quæ Antverpiæ erat,
 adprehendendi, Angli desistere debuerint.

Uxor Principis Bernadisa Eugenia Clary
 soror Reginæ Hisp. nata die 8 Nov. Anni
 1782. ex hoc conjugio Serenissimo Principi
 natus unicus hæres, videlicet: Princeps Jo-
 sephus Franciscus O. carus luci editus die 4.
 Julii 1799.

Memoratu digna sunt verba Regis Sve-
 ciæ ad Status suos occasione electionis pro-
 nunciata: „Suam Majestatem (ita sonant)
 existimare: ceu lege fundamentali inalterabi-
 li stabilitam conditionem & cœnouram ad-
 dendum sibi esse: denominato Principi in
 Caru, quo a Statibus Svecici solii successor
 electus fuerit, jam prævis ante ingressum in

tosque Episcopos avita sacra deserere remanentes regno ejicere debuit, die 19. Jan. 1544 in Comitibus Westeres hereditariam successione[m] introduxit, die 29. Sept. 1560 vivis excessit. Inter filios 4 junior *Carolus* Suedermanicus D. qui excluso Sigismundo Rege Pol. cum progenie Catholica Anno; 1602. Decreto Noroop. regnum, sub nomine *Caroli IX.* adeptus, ejus filius *Gustavus Adolphus* bello tricennali clarissimus Rex Sveciæ erat, cujus filia *Christina* regno ultro abdicante, Anno 1654. Domus Bipontina solio admittit, quæ clarissimos in Historia Reges Sveciæ dedit: *Carolum X. XI. & XII.* cujus soror *Ulrica Eleonora* uxor *Friderici Hassæ Casselani*, sub quo Pax Neostad. 1720 fatali Sveciæ bello Boreali finem fecit. Anno 1751 Domus Holsato-Gottorpica solio admittit, *Fridericus Adolphus*, cujus filii *Gustavus III. &* qui hujus filium *Gustavum Adolphum IV.* excepit, hodiernus *Carolus XIII.*

Iter aerostaticum.

Domina Blanchard die 16. h. Francofurti iter aerostaticum inituram se pollicebatur, ratione quidem quam vix ullus aeronauta perfecit. Memorata mulier materialia pro armandæ spheræ, quæ 4 hora matutina adesse debuissent, $\frac{1}{2}$ 10 primum obtinuit. — Jam tum ambigebat, an fidem promissi; 3a hora globum attollendi præstitura sit; ingens curiosorum turba, ad locum spectaculi concurrens — usque 6 horam plena expectationis; tandem ne diu & anxie opperientes

destitueret, naviculam incoendit at cum sphaera debita impletura careret, onus navionis non sustinuit. Aeronauta desperatione & pudore mota, quod publico fidem frangere videatur, naviculam tolli jubet, & quamquam passim disvaderent, utque in seqv. diem consilia differret, auctores essent, factum excusarent, casum fortunæ non culpam arguentes, cunctaque a vulgi fortissimis convitiis tutam insontem præstandi media inirentur, nilominus medio duorum Circulorum speciem sellæ contexit, cui insidens pedes libere in aere pendebant, atque circ. 7 horam festivo visu fulguris instar in sublimi attollebatur, absque anchora, & lapsus impediens umbella, vento boream & occasum intermedio urbem & Moenum prætervolitavit, mox oculis spectatorum subdusta. Sublata tenui veste induta fuit, cumque multum incaluerit, passim, quod 3 hora post. nihil de ejus vice compertum fuerit, victima temeritatis suæ jam existimabatur. —

Verum die 17. h. circ. 4 pom. Francofurtum adpulit, binis vicibus vento per Moenum ultro citroque acta, tandem in silva ad Sternfischbach (10 horis Francofurto distito in Nassoviensi ditione) illæsa dentis congelatis pedibus manibusque, & salva subsidit sphaera pene glacie obducta.